



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati Caesarei, Pars Lyrica

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

Oceani Felix Avgvrvim. Appulsum in Angliam, nuptiasqué cum Carolo Rege, Portugalliæ Infanti Catharinae gratulatur. Ode XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13378

20 IAC. ALB. GHIBBESI I
Nempè hæc conspicuum sustulit æquitas,
Hæc & surget adhuc, & gradibus gradus
Parti annectet honoris,
Tantum rege minor suo.
Atquæ sidereis fræna iugalibus
Ponat ritè memor. Non humilis dedit
Exemplum graue furdo
Iniectus Phaëthon Pado.

OCEANI FELIX AVGVRIVM.

*Appulsum in Angliam, nuptiasque cum Carolo Rege,
Portugallie Infanti CATHARINAE gratulatur.*

O D E XVII.

NEptuno sociam cum veheret Thetin,
Pictâ Tiphys ouans classe, Britannicæ;
Vectigalis in hæc, Nerçidum choro
Plaudente, OCEANVS pater
Rupit verba. Bonâ veneris alite,
Virgo regia, quam stringere brachijs
Ardet noster herus, te cupidus parens
Dici coniuge Carolus.
Felicem facies, imperium quoque
Felix, & populos, ritè puerpera
Menses ante decent. Iam videor iocæ
Risum cernere mutui.
Posthinc ad patriæ culmen adorea
Scandentem, ac meritis frondibus inuidum
Mirabor iuuenem: Græcia ceu duos
Suspexit Macedum duces.
Aduentum properum distulerat metus
Nimirum ille tuis: nè foret Angliæ
Hæres atque pugil stirpe Brigantius,
Aut affinis Vlyssæi
Bellator, manibus, siuè opus artibus,
Decertare sagax: sic furor hostium,

Ven-

Ventorumquè minæ, spumaquè gurgitis
 Te moti pepulit vagam :
 Donèc tergemina terreo cuspide
 Auctores sceleris ; quâ tibi marmora
 Sternuntur dominae, turaquè corripis
 Plenis ostia linteis .
 O Nautis, tibi quas dixerit Albion
 Grates ; quæuè paret debita præmia ?
 Diuini merito muneris Insula
 Fortunata vocabitur .
 Nunquam dona tulit machina Pelias
 His æquanda bonis ; non similes Ligur
 Explorator opes imposuit rati,
 Gazam diuitis Indiæ .
 Insignem rutilo flumine crederis
 Exhaustisse Tagum . Iam precij minor ,
 Vt gemmâ caruit principe, liquido
 Non curat pede currere .
 Huc, huc ferta citi ; inducite aplustribus ,
 Et malo viridis stemmata gloriæ ,
 Lati Brutigenæ : magnanimo & nouam
 Rectori date lauream .
 Tu claratum etiam, Carole, nauium
 Fies, auspice me : notior vt mare
 Sulcet nulla Tigris, nulla superbior
 Centaurus variet sinus .

AD ALCIDIUM PHILELLENVM :

*aliàs Ioannem Cotunium Verriensem Equitem &
 Herculeum Græcæ fidei propugnatorem :*

ODE XVIII.

○ Alba matris filia Delphicæ,
 Actæa virgo, quatenus, heu nefas,
 Iniurioso te Latini
 Dente, Fides veneranda, carpent ?

B 3

Quin